

Y. b
2249

X 2255840

Q. D. B. V.

GUBENAM AB HUSSITIS

ANTE HOS TRECENTOS ANNOS
DEVASTATAM

ACTU ORATORIO,

In Auditorio Gubenensi

d. 13. Decembr Ao. 1729.

habendo,

Considerabit

Et huic ut benevoli freqventesque intersint,

DOMINOS PATRONOS REIQVE SCHO-
LASTICAE FAUTORÈS

Ea, qva decet observantia,
rogat

M. SIGISMUNDUS CLEEMANN, Rector.

GUBENÆ,
Typis Godofredi Höchmii, 89.



B. C. D.



Husitarum quidem rabiem ante annos fere octodecim, Calamitates tunc Gubenensium exposituri, enarravimus atque, quemadmodum illi Vrbis nostra varia dama, imo interitum ac ~~naturae~~ attulerint, attigimus. Sed qyoniam leviori penicillo furor illorum tunc adumbratus strictiusque tantummodo ac breviter delineatus fuit; inde aliquanto uberioris hocce de argomento agere ac tam illorum inaudita crudelitatem, quam Gubenen-sium inde ortam infelicitatem nunc enarrare in animum induxi mus nostrum. Nec forte dicam aliquis nobis scriberet, quod in argomento hoc tristi & lecti audituque injucundo tam operose versemur ac quædam proferamus, quæ temporis nostro minus accommodata esse videantur. Qvinpotius præfens, qui nunc volvit, annus ac festum Simonis & Iuda non ita pridem celebratum nos admonent, ne fatalis Vrbis nostra adverteret, quæ ante hos trecentos annos circa idem tempus sustinuit, oblitio ca-mur vel recordatione & enarratione nostra judicemus indigna. Equidem nonnulli, inter quos Sebastianus Francke aliquip plures recenfendi veniunt, a nobis hic in diversum abeunt ac tam tristem rerum Statum Gubena nostræ non anno 1429, sed tempore subsequenti, nimisrum a.o. 1430, obtigisse commemorant. 1) Sed quo minus eorum subseribamus sententias, legentia nos in priinis commovere videntur. Hussitas enim non demam anno 1430 ad nostras oras perteigisse vel exinde dispallescit, quoniam tunc rabiem suam potius in Misniam, Franconiam Bavariamq; effusisse leguntur 2), quæ regiones cum a Lusatia nostra remotiores sint, inde non temere credendum est, quod & his in oris castra sua hostilia tunc fuerint metati. Ac ne autoritate aliorum destituti conjecturis nostris tantum indulsisse videamur, vel Annales Vrbis nostra, qui anno 1429, Gubena everisionem contigisse testantur, allegasse suffecerit, cum quibus tam ex recentioribus Scriptoribus Zieglerus, 3) Grosserus, 4) Hübnerus 5) aliiq; longe plures consentiunt. Sententia vero Curiae 6) ac si Gubena nostra Anno deinde 34 istius Seculi ab Hus-sitis fuerit devastata, vel ea ex ratione nostrum non adjicimus calcum, quoniam tunc Procopius Dux & Antelignanus bellum Husitici ex Concilio Basileensi redux & per Compactata Con-cilii ejusdem, quibus desideriis & postulatis Husitarum aliquia ex parte satisfactum erat, mitigatus saniora consilia pati coepit.

Turbis

1) Conf. Christoph. Manlius in Comment. de rebus Lusatonicis L. VI. C. 59. 2) vid. Hubn. in Qv. Hist. P. IV. p. 170. 3) in Theatr. Hist. p. 919. 4) in Memorab. Luf. p. 115. 5) in Qv. Hist. P. IV. p. 159. 6) in Annalib. Siles. apud Manl. l. c.

Turbis quoque Bohemicis domesticisque implicitus usque ad nostram Vrbem tunc non excurrisse merito creditur. 7) Annus itaque vigesimus nonus Seculi decimi quinti est, quo inferiorem funestiorumque Gubena non vidit; ac festum Simonis & Judae memoriam tantæ calamitatis in animum revocare nobis potest, cum hoc die vel potius in Vigilia hujus festi excidium illud accidisse Annales Gubenenses enarrant.

Non vero hic operæ precium fuerit, aliquanto prolixius enarrare, quis Jo. Hussus, a quo nomen Husita fortiti sunt, fuerit & quæ fata ipse, in Concilio Constantiensi vivicomburio intererunt, subierit; cum unicuique vel leviter in Historiarum studiis tincto istud notum sit, ac Virgilianum illud: Cui non dictus Hylas? hic exclamare queamus. Nobis ad prætens institutum hoc nosse sufficerit, quod Husitæ fuerint ii, qui quidem Husiti dogmatibus se infistere gloriabantur, ast Magistri sui pietatem ac patientiam vita & moribus suis minime exprimebant, ac ejus cædem modis ac mediis illegitimis planeque a pietate & honestate recedentibus ulciscerantur. Ac primo quidem furor ipsorum intra Bohemiæ fines substiterat, ita ut in propria viscera sanguirent, ac quam plurimis urbibus, oppidis & pagis terror & exitio illic essent atque in primis hujus belli Husiticis annis (duravit vero illud per octodecim annos) non facile ex Bohemia limitibus evagarentur. Ast quemadmodum secundum illud πολυθρόνα λόγον Bellum non, ubi incipit, ibi desinit, sed gangrena instar virus suum latius spargit: ita & Gubena nostra, quamvis inter Lusatia urbes esset ultima & a Bohemia longissime omnium distaret, non immunis & intacta manere poterat a furore illorum, qui vel in Borussiam usque & ad Dantiscum cum infestis suis turmis excurrere non dubitabant. 8) Qapropter anno sepius commemorato excursione ante in Misnia facta atque post Dresden incensam infausto sidere iter sumum ad Lusatiam inferiorem & signillatim Cotbusium nostramque Vrbem dirigebant. Hoc enim ex verbis seqventibus Cnemiantri, quæ Manlius Scriptor rerum Lusatistarum celebratissimus allegat, dispalescit. "Ex Misnia in Lusatiam inferiorem deflecentes Cotbusum & Gubenan vi expugnant, mares omnes occidunt, ne virginibus quidem & foemini parvunt, adficia omnia flammis ad nihilum redigunt. 9) Hic vero Gubenenses nostri de adventu eorum certiores facti hosti tam diro, adscitis accolis, obviam eundum ac vim vi repellendam esse arbitrabantur. Ac extant adhuc prope Vrbem nostram meridiem versus quædam munimenta aggerumq; vestigia velut anni eorum imperterriti visibilia testimonia, unde hostem advenitur ac torrentis instar somnia inundaturum esse noverant. Procopio itaq; Raso, cui post famosum illum Ziscamppeste a. 1424 extinctum Summi in bello suo Ducas partes demandarunt, cum

XII 2

Tha-

7) Conf. Hubn. I. c. p. 172. 8) Zieglerus in Labyrintho Temp. p. 682.
9) Manl. Lib. VI. c. 57.

Thaboritis ac Orphanis ad Gubenam properant se armis corporibusque objiciebant, dulce & decorum pro patria mori existimantes. Atq[ue] q[ui]bus animus non deerat, vires tamen resistenti tantaque multitudini avertendae & ab Urbe repellendae pares defuerunt, ita ut devicti hostium arbitrio vel furori potius se permittent fuerint coacti. Ac confliktus bellicus ipse & pugna circa eam Urbis oram, q[ua]z meridiem spectat ac Lupam annem praterfluentem habet, accidisse commemoratur. Nec modo in vivos incredibili crudelitate saevitum est, sed & corpora ipsa occisorum, q[ua]z tamen nullus hostis, nisi qui vel naturam humanam exuisit videtur, sepultura judicat indigna, ¹⁰⁾ canibus ac bestiis dilanianda relinquentur. Ac inde platea quædam a Canibus nomen suum accepit & vel hodienum obtinet, (Die Hundes-Gasse) q[ui]via canes casorum corpora ibi avidis dentibus dilacerasse ac ea pasim distraxisse dicuntur.

Et ea q[ui]dēm gesta sunt extra Urbis pomoria; Non vero existimandum est, ac si latior rerum facies intra illius mœnia extiterit. Postquam enim Hussite feliciter contra cives Gubeneses pugnaverant adiutumque sibi in Urbe, ipsam patefecerant, irruerant in illam ac immanitatem inaudita in fœminas sexumque imbellem, cui vel hostes atrocissimi alias parcere solent, deserviebant; q[uo]d q[ui]dēm eo facilius efficerre poterant, q[uo]d major virorum clades extiterat, q[uo]d & majori terrore omnes percellebantur. O vero rem omnibus fere lacrimis majorem, cum Conjuges maritos, q[uo]s laureis redimitos cœū assertores & vindices libertatis se jam complexuras esse sperabant, nunc misere trucidatos viderent audirentque, ipso mox in pari infelicitatis ac mortis passu fecuturae. Ac ne praeter rei veritatem aliquid protulisse videar, vel ex Scriptoribus fide dignis paria hic allegare possem, siq[ue]dēm Sebastianus Frantzkius, Albertus Crantzius & ex iis Manlius testantur, Gubenam "Urbem populosissimam factam esse commune suorum Civium & sepulchrum, multis hominum milibus pereuntibus. ¹¹⁾ His facile recentiorum Scriptorum suffragia adjungi possent, inter q[uo]s Bohuslaus Balbinus, Historicus ob candorem maxime astimandus, refert: Gubæ non Religiosus tantum, sed Cives omnes nullo ætatis aut Sexus discrimine crudelissime peremuntur. ¹²⁾ Nec modo adversus homines, q[uo]s ad unum omnes interfecerant, vel in domos, q[ua]s incenderant; Sed & in vineas circa Gubenam nostram sitas rabies Hussitarum se exeruit, q[ua]s ab illis vastatas esse alio loco commemoravimus ¹³⁾ Ac ut summatim omnia complectar, Gubena tunc erat Theatrum, q[uo]d omnis generis calamitates repræsentabat. Sive enim Cives & Incolas spectemus, ii trucidati ac diris modis interempti in viis ac compitis conspiciebantur; Sive domos intueamur, illæ vel adhuc fumantes vel ad cineres jam redactæ de immanitatem hominum

¹⁰⁾ Vid. Grotius de Jure B. & P. L. II. C. 19. §. 3. ¹¹⁾ Conf. Manlius l. c. ¹²⁾ Epit. R. Bohem. Libr. IV, C. II. ¹³⁾ in Programmate de Vino Vineisq[ue] Gubens,

stium testabantur; Sive ad loca Sacra & qvibus hostilis furor vel apud Gentiles parcere solet, 14) oculos vertamus, illa violata cædibusqve ac rapinis profanata deprehendebantur. Nec mirum, qvod longam illam malorum Iliadem Annales nostri brevibus tantummodo verbis innuant, cum ex communi illa clade vix qvisqam supereset, qui ceu testis *autōnus* innumerata crudelitatis specimen ad posteros transmittere potuisse. Nec infra argumenti hujus dignitatem lepidam qvandam historiam allegare fuerit, præsertim cum Vir longe Doctissimus, D. Jeremias Barthius, Physicus olim in Urbe nostra Experientissimus eam, forte per traditionem oralem haustam, dignam judicari, qvam Diæteticò Medico-Historico L. III, C. 8. infereret. Muliercula nimirum in Suburbio Gubeneri vivuli sui, qvem alebat unicum, rationem habens illum fasciis vestibusq; lugubribus induitum in lectum reponebat, cum ipsa interim huic in pullato ac atro habitu assideret. Hussitarum itaq; unus præda inhians lugubre ac insolitus spectaculum animadvertisens non modo illico aufugit, sed & ceteris plenus terrore acclamavit, ne ædes has intrarent, siquidem Diabolus pullos suos ibi excluderet procrearetq; ve. Qvo qvidem stratagema mulier non modo vitulum, sed & semetipsam præsenti mortis periculo surripuit.

Qvod si vero in causas inqvirere velimus, cur erga Gubenam nostram præsertim omnem furem suum effuderint atq; tam infenum proderint animum, ultra conjecturas affurgere haut poterimus. Scimus qvidem, qvod Hussitis hoc in more fuerit, ut, qvocunque pervenerint, funesta ac sangvinolenta reliquerint vestigia, uti ex belli Hussitici Descriptoribus pluribus constat. Interim tamen vel exinde eorum truculentia adversus Vrbem nostram comonstrata derivari poterit, qyoniam ad resistendum le paraverant nec statim hosti huic insolenti supplices occurrerant Cives nostri, partibus ita illorum accessuri. Scimus enim, qvantam alias in hoste excitaverit iram resistendi conatus, id qvod exemplo Tamerlanis, noti illius Asiae & Europa domitoris patet: 15) qvemadmodum e contrario demissæ ac supplices devictorum preces hostem a cæde & devastatione jam intentata avocarunt, qvod exemplo Jaddi, Summi Hierolymorum Sacerdotis 16) ac Leonis M. Pontificis Romani 17) comonstrari posset, qvorum uterq; iram Alexandri M. & Attilæ Hunnorum Tyranni lenire & avertere poterat. Huc accedit, qvod, una cum ceteris Lusatia urbibus ad fœdus contra Imperatorem ineundum invitati, Hussitis patulas non præbuerant aures, sed fidem & obsequium Sigismundo Imperatori ac Regi suo qvavis occasione præfiterant. 18) Addo qvod & hocce fortassis Hussitas erga Vrbem nostram

X 3 red-

14) Buddeus in Selectis J. Net, G. p. 279. Conf. Schurtzfl. in Disp. de Jure Belli circa Fana & Sepulchra §. 12. 15) Bucholzerus in Chronol. p. m. 415. 16) Joseph, in Antiqu. Iud. L. XI, C. 8. 17) Wagenfeilius in Pera Hist. Part post. p. 10. 18) Conf. Grofs, in Mem. p. 114. & Carpzov, in Anal. Faſt. Zittav. p. 185.

reddiderit infensores, qvoniā eam domicilium monachis monialibusqve præbere ac Cœnobia inibi extructa esse sciebant. In ordinis enim hujus homines odio plus qvam Vatiniano exarserant atq; iram suam Cœnobia eorum devastando, monachos vero monialesq; diris modis vexando ac trucidando prodebat; utpote qvorum instictu Hussum interfecitum atq; contra datam fidem combustum fuisse arbitrabantur. Inde vel 550, Monasteria a solo Zischka, qvi huic bello Hussitico tantum sex annos præfuit, devastata ac eversa esse communi Scriptorum consensu traditur. 19) Nec mitiores sane Gubena, erga Monachos se exhibebant, siquidem illi ex fenestris Cœnobii & e muris in isto loco, qvem nunc Vrbis aream (den Stadt-Hof) vocamus, suspendebantur, triste ita prætereuntibus spectaculum præbeant. Ac qvemadmodum Monachi Gubena immanitatem illorum fenserant, ita & in Cœnobio Neo-Cellensi non procul ab Urbe nostra sito itidem tam crudeliter cum illis actum est, ita ut, referente Crantzio, 20) monasterium Cellæ novæ a fundamento everterint, monachis partim exquisito supplici genere primum manibus pedibusqve truncatis atq; ita abjectis, partim pro fenestris suspensis. Ac dignum habuerunt ante annos non ita plures hoc excidium, qvod imagine quadam fatis eleganti ac nitida adumbrarent, disputatione Pragæ a. 1703. m. Augusto habita sibi revocarent in animum, qvamvis hoc a. 1427. d. 10. Septembr. factum esse recensent, cum tamen excidium Monasterii hujus cum Gubenensi alias conjungatur ac uno eodemque tempore accidisse existimetur. Atq; sic five extra Vrbem oculos in circumfositos agros circumferamus, five intra Vrbis moenia nos contineamus, miseranda omnino ubique se rerum facies ostendit.

Non vero existimandum est, ac si intra tam arctos limites substiterit Hussitarum crudelitas, qvin potius latius evagabatur ac plura in locis vicinis relinquebat vestigia. Quid Neo-Cellæ acciderit, jam commemoravimus; Huc vero etiam referri meretur pagus qvidam in Sylva Gubenenis majori, cui nomen Chelin fuisse testantur Diplomata adhuc de eodem extantia. Hunc enim penitus solo æqvatum ac eversum fuisse, rudera adhuc ac lapidum fragmenta testantur viatoriibusqve hunc tractum, adhuc die Dorffstate nominatum, prætereuntibus diritatem Hussitarum in memoriam revocant. Qvo vero deinceps & post everlam Gubenam se verterint, ex Manlio verbisqve Cnemiandri, qvæ allegat, percipitur: Gubena in duas divisæ turmas pars Sommerfeldum diripuerunt, pars in Marchia Brandenburgensis fines excurserunt. Crofia & alia Vrbes certa pecunia summa pacem mercari maluerunt. Post hæc in Lusatian Superiorum regressi Hussite Görlitii oppugnandi consilium coperunt, sed cum minus inter ipsos conveniret, denuo in alias factiones divisæ Vrbem reliquere intactam. 21) Ac omnino invenimus & apud alios, illos eodem anno

19) Hubn, P. IV, p. 152. 20) in Vandalia L, XI, C, 20. 21) Manlius, I, c.

Görlicensem Vrbem obsidione tentasse, a qva tamen rebus infectis discedere fuissent coacti. 22)

Ac cum hoc ipso tempore anni trecenti post illud excidium effluxerint, ac præsens, in quo nunc vivimus, periodum trecentorum annorum nobis attulerit, nonne par æquumque erat, Gubenenses nostros de infelicitate Majorum suorum admonere iisque tam dira ac dura fata in memoriam revocare. Qvodsi enim Parthenopolis seu Magdeburgum diem excidii sui anno 1631 a Tilio Cæsarisque exercitu illati non oblivisciatur; qvodsi Budissa in eodem bello tricennali ao. 1634 exulta diem hunc penitentia ac luctu qvotannis consecrandum esse statuit, nonne & nobis tempus hocce, quo tristius Gubena nostra non obtigit, in animum memoriamque, quamvis post tot annorum decursum, revocare par esset? Non enim prudentes temporum æstimatoræ semper rosas tantum loqvuntur ac res lectu audituque jucundas proponunt, sed & Calamitatum toleratum recordantur: præfertim qvia inde pulchra ac commoda DEO gratias agendi occasio enalcitur, utpote cui restauratio ac redintegratio rerum nostrarum post varias strages ac infortunia in acceptis merito referri debet. Ac divina omnino benedictioni gratiaeque adscribimus, qvod Gubena, qvæ Sepulchrum tunc temporis suorum civium fuit, nunc iterum domicilium ac receptaculum tot incolarum sit atqve in eum statum se positam videat, ut incolarum numero, vinearum jucunditate, alimentorumque ubertate cum vicinis urbibus certare, palmamque ipsi dubiam reddere, imo præcipere queat. Nec urbem nostram, qvæ DEI singularis est gratia, in cineribus ac ruderibus suis ulterius conspicimus, qvin vetustate sua præ omnibus Lusatia Inferioris, addo & Superioris urbibus caput suum effert, ab universali incendio iam fere per ducentos annos, cum ultimum ao. 1536 contigerit, intacta. An vero Vrbs nostra tunc Phoenicis instar statim iterum e cineribus suis surrexerit ac extrueta fuerit, nobis Annalium enarratione destitutis perspectum exploratumque adeo non est. Istud vero invenimus, qvod jam ao. 1450 & ita post 21 annorum decursum incendium, qvod Suburbio qvoque Monialium Cœnobio adjacenti (die Closter Vorstadt) funestum fuit, tolerarit, id qvod documento est, Vrbem nostram dirutam non admodum diu in ruinis suis jacuisse. Nec a vero videtur adeo esse alienum, qvin ex vicinia aliusque locis novi advenæ ameno, addo & commido Vrbis situ, cum duobus fluminibus alluat, invitati sint animumque isti incolandæ exædificandæque adjecerint. Ac omnino aliquid momenti & istud ad augmentum incolarum attulit, qvoniام coloni pagi Schmachtenheinensis sedes suas, metu hostium percussi, propriis ad Vrbem nostram transtulerunt ac cum Suburbio Gubenensi deinceps in unum corpus coaluerunt, qvemadmodum & jure civitatis adhuc gaudent. De cetero nostrum erit, DEO vero Vrbium Statori Conservatori.

22) Grosf. p. 115. & Roch, in Chron. Luf. p. 365.

Yb 2749 M

toriq; gratias pro concessio Vrbis nostræ incremento agere eum
demque precibus ardentissimis compellare, ut in posterum illam
a Calamitatibus ejusmodi epidemicis conservare eidemque
semper praedium auxilioque suo adesse velit. Fiet id a quibus-
dam Schola nostræ Alumnis probis & industriis, qui quoque ea,
qua ad Hussitici hujus excidii historiam aliaque spectant, pro
ingenii viriumque modulo pluribus perfequentur.

Et quidem viam ad præsens institutum pandet Jo. Friedr. Kuhn,
Serves-Anhalt.

Hussitarum mores exponent Joh. Georg. Stein, Gubena-Luf.
& Christian Gottlieb Krüger, Liscov. Luf.

Falsa propagandæ religionis media enumerabunt Carl Heinr.
Röhl, Croft, Siles. & Daniel Lange, Saxend March.

Funestissima Gubena in bello Hussitico fata Carmine Epico
commemorabit Joh. Gottfr. Schulze, Grisella-Silesius.

Vera propagandæ religionis media recensabit Christoph. Si-
gism. Richter, Gubener.

In originem belli hujus inquirent & quemadmodum funestum
tot regionibus extiterit, enarrabunt Joh. Christian Hart-
wid, Razdorff. Luf. Christophorus Schulze, Custrin.
March. & Samuel August. Halpius, Neozach. Luf.

De excidio Gubenensi agent Christ. Ludov. Geißler, Heiners-
dorff. March. Samuel Christian Schröder, Gubena Luf. &
Joh. Gotthelff Rungius, Lubbena Luf.

Sententiam illam, qua haeretico non fidem servandam esse ju-
dicat, expendet Joh. Friedr. Doltzig, Luf.

Gubenam post everisionem hanc in flore & incremento suo
considerabit Gottfried Gabriel Rohde, Forst. Luf.

Gubena de feliciter superatis his calamitatibus gratulabitur
George Abraham de Hohendorff, Eqves March.

Deo pro concessio Vrbis praedium gratias aget & Epilogi partes in
se suscipiet Christian. Gvilielm. Köhler, Cobusienis.

Vos vero, V. O. O. H., Hussitici nominis ac furoris recordatio
adeo non terribit, quod Ferdinandus I. Imp. Rom. Czaslaviae pro-
pe Sepulchrum Zischkæ stanti accidisse & eum ad maturandum
abitum commovisse narratur 23), quominus Aetui huic de Hus-
sitis benevoli frequentesque interesse velitis. Invenietis & nos
pro hac concessio honorifica præsentia ad quævis officia propen-
sissimos paratiissimosque. Scrib. Gubena, d. 12. Decembr

Anno 1729.

23) Viseus in Lexico Geograph. p. 296.



St. K. 31, 79

Y. b
2249

X 2255840

Q. D. B. V.

GUBENAM AB HUSSITIS

ANTE HOS TRECENTOS ANNOS
DEVASTATAM

ACTU ORATORIO,

In Auditorio Gubenensi

d. 13. Decembr Ao. 1729.

habendo,

Considerabit

Et huic ut benevoli freqventesqe intersint,

DOMINOS PATRONOS REIQVE SCHO- LASTICAE FAUTORES

Ea, qva decet observantia,
rogat

M. SIGISMUNDUS CLEEMANN, Rector.



GUBENÆ,

Type Godofredi Höchmii, 89.

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Farbkarte #13

B.I.G.

